

## Caput XV.

**E**T confestim, mane consilium facientes summi sacerdotes eum senioribus & scribis, & universo concilio vincientes Jesum, duxerunt, & tradiderunt Pilato. Et interrogavit eum Pilatus: Tu es rex Judaeorum? At ille respondens, ait illi: Tu dicis. Et accusabant eum summi sacerdotes in multis. Pilatus autem rursus interrogavit eum, dicens: Non respondes quicquam? Vide in quantis te accusant. Jesus autem amplius nihil respondit, ita ut miraretur Pilatus. Per diem autem festum solebat dimittere illis unum ex vinculis, quemcumque petissent. Erat autem, qui dicebatur Barabbas; qui cum seditionis erat vinculis: qui in seditione fecerat homicidium. Et cum ascendisset turba, cepit rogare sicut semper faciebat illi. Pilatus autem respondit eis, & dixit. Hic adest Samson, id est, sol eorum: quibus occurrit sol in meridie: Dalila stula interpretatur: quae est synagoga: quae stula more limpidum liquorem non tenet, & qui quilibet immunda collegit. Samson noster maxilla verbi sui innumeras catervas Judaeorum & daemonum hic sternit: & fontem perennis vitae litantibus nobis, id est, corpori suo aperit. Pontifices concitaverunt turbas, ut peterent Barabbam, & crucifigerent Jesum. Hic duo hirci adunt: unus *ἀνομιμαίος*, id est, admittarius: cum peccato populi in deserto inferni absolutus dimittitur: alter pro peccatis absolutorum, ut agnus occiditur. Pars Domini semper mactatur, pars diaboli, qui est magister eorum, effrenata in tartarum praecipitatur. Subditur:

*Vultis dimittam vobis regem Judaeorum? Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum summi sacerdotes. Pontifices autem concitaverunt turbam, ut magis Barabbam dimitteret eis. Pilatus autem iterum respondens, ait illis: Quid ergo vultis faciam regi Judaeorum? At illi iterum clamaverunt: Crucifige eum. Pilatus vero dicebat illis: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant: Crucifige eum. Pilatus autem, volens populo satisfacere, dimisit illis Barabbam, & tradidit eis Jesum, flagellis casum, ut crucifigeretur. Milites autem duxerunt eum intro in atrium pratorii: & convocant totam cohortem, & induunt eum purpura, & imponunt ei, placentes spineam coronam: & cooperunt salutare eum, Ave, rex Judaeorum. Et percutebant caput ejus arundine, & confuebant eum, & pantes genua: adorabant eum. Et postquam illuserunt ei, exuerunt illum purpura: & induerunt eum vestimentis suis. Et educunt illum, ut crucifigerent eum. Multas occasiones dedit Pilatus, liberandi salvatorem. Primo conferens latronem, deinde inferens, Quid ergo vultis faciam regi Judaeorum? Cuique respondissent, crucifigatur: non statim acquievit: sed secundum suggestionem uxoris, quae mandaverat ei, ut Martheus dixit: Nihil tibi & justo illi: respondit, Quid enim mali fecit? quod dicendo, Jesum absolvit. Milites induunt eum purpura &c. Vestimentis suis nudatur: id est, Judaeis. Purpura induitur: id est, gentili Ecclesiae, quae de scopulis maris est collecta. Item ea scandalizante exutus in fine: Judaica rursus induitur plebe. Cum enim intraverit plenitudo gentium, tunc omnis Israel salvus erit. Et adducit illum ut crucifigerent eum. Hic educitur Abel in agrum a fratre, ut perimatur: Hic adest Isaac cum lignis, & Abraham cum ariete in Sabech herente. Hic adest Joseph cum falce gremio somniato: & tunica talari sanguine lita. Hic adest Moyses cum virga: & serpente suspenso in ligno. Hic adest botrus in ligno portatus. Hic adest Eliseus cum ligno ad quaerendam securum, quae in ima demersa est: & natavit ad lignum, id est, genus humanum: quod a ligno vetito in infernum cecidit, per lignum crucis Christi, & per baptismum aquae ad paradisi natavit. Hic adest Jonas, de ligno fortis in mare in ventremque ceti triduo missus.*

Et angariaverunt pretereuntem quempiam Simonem Cyrenaeum, venientem de villa, patrem Alexandri & Rufi, ut tolleret crucem ejus. Et perducunt illum in Golgotha locum, quod est interpretatum, Calvaria locus. Alii per merita patrum suorum commemorantur: alii per merita filiorum suorum. Hic autem Simon qui crucem in angaria portat, meritis filiorum suorum, qui erant discipuli, commemoratur. Per hoc nos in praesenti vita admonemur, parentes adjuvari per natorum suorum sapientiam: ut populus Judaicus, propter Patriarcharum, & Prophetarum, & Apostolorum merita, semper commemoratur. De amaritudine enim radices

furgit dulcedo olivae. Unde per Jeremiam ad Judaeam dicitur: Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocavit Dominus nomen tuum. Ut tolleretur crucem ejus. Dum legerent: maledictus omnis qui pendet in ligno: factus est maledictus, ut tolleretur maledictum. Simon qui portat crucem in angaria: ipse est qui laborat pro laude humana. Cogunt eum homines huic labori, quem non cogit timor & dilectio Dei. Ipsa species crucis, quid est nisi forma quadrata mundi? Oriens de vertice fulgens, Arcton dextra tenet: Austen in leva consistit: Occidens sub plantis firmatur. Unde Apostolus dicit: Ut sciamus quae sit altitudo, & latitudo & longitudo & profundum. Aves quando volant ad aethera, formam crucis assunt, homo natans per aquas vel orans, forma crucis vehitur. Navis per maria, antema crucis similitudo sufflatur. T litera, signum salutis & crucis describitur. Et perducunt eum in Golgotha, quod interpretatur Calvaria. Tradunt Judaei, quod in hoc montis loco immolatus est aries pro Isaac, ubi decolletur: id est, Christus a carne sua carnali videlicet Judaea separatur.

Et dabant ei bibere mistratum vinum, & non accepit. Et crucifigentes eum. Hoc aceto, succus lactalis pomi abitergitur. Et non accepit, id pro quo patitur. Unde de eo dicitur: Quae non rapui, tunc exolvebam. Et crucifigunt eum, Hic figurat salus in ligno, ligno primo infixus est mors. Lignum primum, lignum scientiae boni & mali est. Et secundum lignum boni tantum nobis & vitae lignum est. Extensio primae ad lignum, mortem apprehendit: extensio autem secundae, vitam (quae perierat) invenit. Ligno hoc vehimur per mare undolium ad terram viventium.

Diviserunt vestimenta ejus: mittentes sortem super eis: quis quid tolleret. Vestimenta Domini, ejus mandata sunt, quibus tegitur corpus ejus, quod est Ecclesia, quae dividuntur inter milites gentium: ut sint quatuor ordines cum una fide: id est conjugati & viduati, prepositi & separati: fortis tunicam, indivisam, quae est pax & unitas, inconstituta in modum annuli regalis.

Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum. Hoc verè & proprie Marcus intulit: Nam sexta hora tenebrae fude runt terram, ut non quis potuisset movere caput. A tricesimo namque fructu Marcus ascendit ad centesimum: id est, a tertia hora crucis usque ad tertiam resurrectionis post tres dies. Tricesimus fructus, est in cruce: sexagesimus in inferno: centesimus in paradiso.

Et erat titulus cause ejus inscriptus, Rex Judaeorum. Quod in titulis praenotatur psalmorum, in finem ne corrumpas. Et hoc tribus linguis: MALACHIEU DIM *καυαλις* *ἡ* *λογιστιν*: Rex constituentium. Haec tres linguae, in cruce titulo conjunctae sunt, ut omnis lingua commemoret perfidiam Judaeorum.

Et cum eo crucifigunt duos latrones: unum a dextris, & alium a sinistris ejus. Et impleta est scriptura quae dicit: Et cum iniquis reputatus est. Et pretereuntes blasphemabant eum, moventes capita sua, & dicentes: Vab qui destruxit templum, & in tribus diebus reedificavit. Salvum fac teipsum, descens de cruce. Similiter & summi sacerdotes, illudentes ad alterutrum eum scribis dicebant: Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere, Christus rex Israel descendat nunc de cruce, ut videamus & credamus. Et qui cum eo crucifixi erant, conviciabantur ei. Et facta hora sexta, tenebra factae sunt per totam terram usque in horam nonam. Cum iniquis veritas deputata: unum reliquit sinistram, alterum assumit dextrum: sicut in die iudicii faciet, ex simili crimine, dissimiles fortiantur fines. Alter antecedit Petrum in paradysum, alter Judam in infernum. Confessio brevis, vitam acquisivit longam: & blasphemata finita, poena plectitur aeterna. Hic pullus Judae ligatur ad vitem: Hic *ἀνομιμαίος*, id est, palmum tingitur in sanguine uxoris: hic lacerat haedi vineam. Blasphemantes eum, & moventes capita sua. Emittitur in capita iniquorum mors, quando excitantur vincula inferni usque ad cervicem, qui est cervix generis humani. Descende de cruce, ne faceret salutem quam inchoarat. Et viderunt postea resurgentem de sepulchro quem de cruce descendere non credebant posse sepulchro. Ubi est Judaei infidelitas vestra? Adhuc de vivo dicebatis, si rex Israel est, descendat de cruce. Vos ipsos consulite, vos ipsos iudicium peto: quanto mirabilis est mortuum posse resurgere, quam adhuc vivum de cruce velle descendere? Parva petitis, dum majora prove-

nerint. Sed infidelitas vestra non potuit sanari signis multo fortioribus quam petitis. Hic omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt. Facta hora sexta, tenebrae factae sunt per totam terram. Hic adest Noè, inebriatus ac nudatus: caelo & terra pallio tenebroso tectus, & homine irritus. Hic stilavit sanguis de ligno.

Et hora nona, exclamavit Jesus voce magna, dicens: Eli, Eli, lamma azabthani: quod est interpretatum: Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti? Et quidam de circumstantibus audientes dicebant: Ecce Eliam vocat. Currens autem unus, & implens spongiam aceto, circumponensque calameo, posuit ei, dicens: Sinite, videamus si veniat Elias ad deponendum eum. Inde scribitur psalmus ille pro assumptione matutina quae Christus ad crucem ducitur. Verba propria sunt filii hominis: unde sequitur juxta Lucam: In manus tuas commendo spiritum meum. Nona hora inventum eversa domo decima drachina quae perierat. Currens autem unus ex eis: invenit similitudinem eorum spongiam calameo, infirmam, aridam, ignibus aptam: implet aceto, hoc est, malitia & dolo: de quo dicitur: Plantavi te vineam Sorechi: & quomodo conversa est in amaritudinem vitis alienae? Et expectavi ut faceret uvas, & fecit spinas.

Jesus autem emissis voce magna, expiravit. Et velum templi scissum est in duo, a summo usque deorsum. Videns autem centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans expirasset, ait: Verè hic homo, Filius Dei erat. Infirma enim carne, vox invaluit divina, quae dicit: Aperite mihi portas justitiae, & ingressus in eas, confitebor Domino: cum ima voce vel sine voce moriturus, qui de terra sumus. Ille vero cum exaltata voce expiravit, qui de caelo descendit: Velum templi scinditur, id est, coelum aperitur. Centurio ait: Verè Dei filius erat. Novissimi primi nunc efficiuntur. Gentilis conficitur populus: Judaea caecata negat, ut fiat eis error pejor priore.

Erant autem & mulieres, de longe aspicientes, inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi minoris, & Joseph mater, & Salome. Et cum esset in Galilea, sequebantur eum, & ministrabant ei: & aliae multae quae simul cum eo ascenderant Ierosolimam. Et cum jam sero esset factum, quia erat paraesce, quod est ante sabbatum, venit Joseph ab Arimathea, nobilis decurio, qui & ipse erat expectans regnum Dei: & audacter introivit ad Pilatum, & petiit corpus Jesu. Pilatus autem mirabatur. Si jam obiisset: & accersito centurione, interrogavit eum, si jam mortuus esset. Et cum cognovisset à centurione, donavit corpus Joseph. Joseph autem mercatus sindonem, & deponens eum, involvit sindoni, & posuit eum in monumento quod erat excisum de petra: & advolvit lapidem ad ostium monumenti. Maria autem Magdalene & Maria aspiciant ubi poneretur. Sicut non excluditur mulieribus sexus à salute per Mariam virginem: ita non repellitur à mysterio crucis scientiae & resurrectionis per viduam Mariam Magdalenam, & ceteras matres. Joseph venit sero paraesce, ab Arimathea, quae interpretatur deponens, ad deponendum corpus in monumentum: nobilis decurio, expectans & ipse regnum Dei: Intrat ad Pilatum, petit corpus Jesu. Joseph mercatur sindonem, involutum corpus in sindone ponit in monumentum, quod erat excisum de petra. Advolvit lapidem ad ostium monumenti. Mariae aspiciunt ubi poneretur. Hec omnia congruant ad populum Judaicum, in fine credentem: qui nobilitatur fide, ut Abraham sit filius. Deponit desperationem, expectat regnum Dei. Intrat ad Christianos, ut baptizetur. Quod significat nomen Pilati, id est malleatoris: id est, qui donat ferreas gentes, ut regat eas in virga ferrea, & petit sacrificium: quod donatur penitentibus in fine viaticum & corde mundo & peccatis mortuo, involvit in munimine fidei, stabilitum operculo spei, per opera charitatis concludit. Fines enim praecipi est charitas. Aspicientibus à longe electis, qui sunt stellae maris: quando, si fieri potest, scandalizabuntur electi.

## Caput XVI.

**E**T cum transisset sabbatum, Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent eum. Nunc aromatis redolentibus cum sponsa: & adolescentibus quae currunt post eam conspergimus librum

& cubiculum mentis nostrae. Nunc introducitur nos rex in cellaria sua. Nunc surgit amica Maria, hiems abit, pluvia recessit: flores visi sunt in terra. Vox turturis audita est in terra nostra. Vineae florentes dederunt odorem. Redit spon- sus de umbra sub qua dormit in meridie. Post sabbata tristitia faelix irradiat dies: quae primatum in diebus tenet: luce prima in eo lucente, & Domino meo cum triumpho resurgente, & dicente: Haec est dies quam fecit Dominus: exultemus & laetemur in ea.

Et valde mane una sabbatorum veniunt ad monumentum, orto jam sole: & dicebant ad invicem: Quis revolvit nobis lapidem ab ostio monumenti? Et respicientes viderunt revolutum lapidem. Valde mane, quod alius Evangelista diluculo dicit. Diluculum est inter tenebras noctis, & diei claritatem. In qua salus humano generi provenit, felici vicinitate declaranda, more solis: qui proxima luce confurgens, ro- seam praemitit auroram: ut gratia praecleari splendoris, praeparatis oculis possit intueri, quando tempus dominicae resurrectionis cluxit: Ut tunc laudes Christi tota caneret secundum exemplum harum feminarum Ecclesia: quando genus humanum exemplo suae resurrectionis animavit: quando vitam praescribit, & lumen credulitatis infundit. Sol vero post occasum corporis oritur. Hic Aquila ad corpus congregantur: matres & Apostoli vident revolutum lapidem, qui est lex mortis, ac si diceret: Ubi mors aculeus tuus? & reliqua.

Erat quippe magnus valde. Et introentes in monumentum, viderunt juvenem sedentem in dextris, coopertum stola candida: & obstupuerunt. Qui etiam infantes in utero tangit: gemitus omnium & omnibus gravis. Et introentes in monumentum viderunt juvenem, non senem, non infantem, sed jucundum aetate, ut dicitur: Letare juvenis in adolescentia tua, quae non est hic vera, dum cum senio est commixta. Sedentem in dextris virtutis, id est, regnantem in prof- peris. Hic juvenis formam resurrectionis, timentibus mortem ostendit. Coopertum stola candida, quae vera laetitia est hoste depulso, regnoque adepti, rege pacis quieto, invento, & nunquam dimisso. Et obtupuerunt: id est, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se.

Qui dicit illis: Nolite expavescere. Jesum quareis Nazarenum crucifixum: surrexit, non est hic, ecce locus ubi posuerunt eum. Sed ite, & dicite discipulis ejus & Petro. Deus charitas est. Non est ergo timor in charitate. Quid expavescerent, quae invenerunt quem quaesierunt? Jesum quareis Nazarenum. Radix enim amara crucis evanuit: flos enim vitae cum fructibus erupit: id est, qui jacuit in morte, surrexit in gloria. Ecce locus. Ostenditur mortalitas immortalibus ad gratiarum actionem debita: ut intelligamus quid fuerimus, & sciamus quid futuri erimus. Sed ite dicite. Mulieribus dicitur ut annuncient Apostolis: quia per mulierem mors annunciata est, per mulierem vita resurgens. Et Petro. Qui se indignum judicat discipulatu, dum ter negavit magistrum. Peccata praeterita non nocent, quando non placent.

Quia praedixi vos in Galilaam: ibi enim videbitis, sicut dixi vobis. At illa exeuntes, fugerunt de monumento. Invaserat enim eas timor & pavor, & nemini quicquam dixerunt: timebant enim. Surgens autem Jesus mane prima sabbati, apparuit primo Maria Magdalene, de qua egerat septem daemona. Illa vadens nuntiavit his qui cum eo fuerant lugentibus & stentibus. Et illi audientes quia viveret & visus esset ab ea, non crediderunt. Post hac autem duobus ex eis ambulantis ostensus est in alia effigia, euntibus in villam: & illi euntes nuntiaverunt ceteris: nec illis crediderunt. Brevis sententia in syllabis, sed ingens in quantitate promissio. Ibi est gaudii nostri fons, & salutis aeternae origo praeparata. Ibi congregantur dispersiones, & sanantur contriti corde. Ibi cum videbitis, non sicut viditis. At illa exeuntes fugerunt. Dicitur de futura vita: Et fugiet dolor ac gemitus. Imitantur mulieres ante resurrectionem omnium, quod faciunt post resurrectionem: fugiunt mortem & pavorem. Et nemini quicquam dixerunt: quia ipsi soli mysterium resurrectionis vident, qui videre ipsi illud meruerunt. Unde sequitur, juxta Joannem: Petrus autem ecurrit ad monumentum, ut videret ipse quod audivit. Surgens autem Jesus primo mane sabbati, Maria Magdalene primo ostenditur: de qua egerat septem daemona: quia meretrices & publicani praecedunt synagogam irregnum Dei: ut latro



præcessit Apostolos. Flent & lugent qui necdum viderunt, sed non post multum consolabuntur. Beati enim qui lugent nunc, quoniam ipsi consolabuntur. Et illi audientes non crediderunt. Fides autem hic laborat, agens activam vitam: illic contemplativa secura visione regnat. Hic per speculum contuemur imaginem: illic facie ad faciem videbimus veritatem. Unde sequitur: Post hæc duobus ex illis ambulantibus, id est, laborantibus, ostensus est in alia effigie. Et illis annuntiantibus non est creditum: dum sicut Moyses viderunt, quod non sufficiebat eis. Unde Moyses dicit: Ostende mihi temetipsum. Oblitus carnis suæ, postulat in vita ista, quod post illam speramus in futura.

*Novissimè autem recumbentibus illis undecim apparuit, & exprobravit incredulitatem illorum & duritiam cordis: quia his qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Ut omnes testes enarrarent omnibus, quod communiter viderunt & audierunt. Exprobrat incredulitatem, ut succedat credulitas; exprobrat duritiam cordis lapidei, ut succedat cor carneum charitate plenum. Hinc est quod martyrum catervæ mortem hujus sæculi libenter affectant: quia noverunt pro isto temporali interitu perpetuo se esse vi-cturos.*

*Et dixit eis: Euntes in mundum univèrsam predicare Evangelium omni creaturæ. Nunc primum post acceptum spiritum, ac si vasa limosa per ignem confirmata: omni creaturæ, id est omni generi humano quod in se commune aliquid habet ab omni creatura, jubetur, id est, angelis,*

*Explicit expositio Evangelii secundum Marcum.*

## PRÆFATIO

*Falsò adscripta Beato Hieronymo Presbytero in Evangelium secundum Lucam.*

**L**UCAS, Syrus natione Antiochenis, arte medicus, discipulus Apostolorum, postea Paulum secutus usque ad consummationem ejus, serviens Domino sine crimine. Nam neque uxorem unquam habens, neque filios: septuaginta & quatuor annorum obiit in Bithynia plenus Spiritu sancto. Qui cum jam scripta essent Evangelia: per Matthæum quidem in Judæa: per Marcum autem in Italia: sancto instigante spiritu in Achaïæ partibus hoc scripsit Evangelium: significans etiam ipse in principio ante suum alia esse descripta. Cui extra ea quæ ordo Evangelicæ dispositionis exposcit: ea maxime necessitas laboris fuit, ut primum Græcis fidelibus omni prophetatione venturi in carnem Dei Christi manifestata humanitate, ne Judaicis fabulis attentis in solo legis desiderio tenerentur: vel ne hæreticis fabulis & stultis sollicitationibus seducti exciderent à veritate, elaboraret. Dehinc ut in principio Evangelii Johannis nativitate præsumpta: cui Evangelium scriberet & in quo electus scriberet, indicaret: contestans in se completa esse quæ essent ab aliis inchoata. Cui ideo post baptismum Filii Dei, à perfectione generationis in Christo impletæ, repetendæ à principio nativitatis humanæ, potestas permittitur: ut requirentibus demonstraret, in quo apprehendens erat per Nathan filium David introitu, recurrentis in Deum generationis admisso, inseparabilis Dei, ut prædicans in hominibus Christum suum perfecti opus hominis redire in se per filium faceret: qui per David patrem venientibus iter præbebat in Christo. Cui Lucæ non immerito etiam scribendorum actuum Apostolorum potestas in ministerio datur: ut Deo in Deum pleno & filio perditionis extincto: oratione ab ipsis Apostolis facta forte Domini electionis numerus compleretur. Sicque Paulus consummationem apostolicis actibus daret: quamdiu contra stimulum recalcitrantem Dominus elegisset. Quod & legentibus ac requiritibus Deum: & si per singula expediri à nobis utile fuerat: sciens tamen quod operantem agricolam oporteat primum de fructibus suis edere, vitavimus publicam curiositatem: ne non tam volentibus Deum demonstrasse videmur: quam fastidientibus prodidisse.

pecoribus, lignis, lapidibus, igni & aqua, calido & frigido, humido & arido: quia mundus minor homo dicitur. Dominus utique Jesus qui de cælo descendit ad liberandam infirmitatis nostræ naturam: ipse etiam super cælorum cælos ascendit, qui sedet ad dexteram Patris. Considerandum est autem quod frequenter in scripturis divinis plurali numero cælos dictos invenies, dum legitur: In principio fecit Deus cælum & terram: cum tamen pluraliter dicti cæli legantur & terræ. Modus enim iste locutionis latius patet, ut abusive singularia plurali numero dicamus, & pluralia singulari. Ad Orientem verò, quod psalmista dicit, Evangelistæ tacent: Jerosolymam significat, quæ est in Orientis partibus collocata. Unde Dominus Apostolis videntibus ascendit ad cælos: Terra multis plena miraculis: ubi fidelium credulitas plus actibus quam lectionibus eruditur.

*Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur. In nomine meo demonia ejicient: linguis loquentur novis, serpentes tollent. Et si mortiferum quid biberint, non eis nocet. Super ægros manus imponent, & bene habebunt. Et Dominus quidem Jesus postquam locutus est eis, assumptus est in cælum: & sedet à dextris Dei. Illi autem profecti predicaverunt ubique Domine cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Ducentesimo tricesimo quinto capitulo Marcus signa credentium cum Matthæo & Luca concordans enarrat.*

## COMMENTARII IN EPISTOLAS SANCTI PAULI.

### PRÆFATIO.

**L**ITTERIS tuis cursim mihi allatis, & laboribus & curis in sacris codicibus defudare me cogis, jam mihi senescente corpore & viribus lascentibus, Heliodore sancte: idque in Epistolis Beati Pauli, quæ & scientia prædicatoris, & lima justitiæ tam magnæ & prædicando & docendo, testimonio Spiritus sancti prolata atque dilatata sunt; ut comparare, aut coæquare veteri Testamento & Evangelicæ doctrinæ non dubitemus. Ipse enim revelante sibi Spiritu sancto cognovit, dum se raptum esse usque ad tertium cælum in corpore, aut extra corpus asserit, hoc est usque ad tertiam legem veteris novique Testamenti. In corpore, aut extra corpus, id est, neque per legem naturæ, neque per legem litteræ, sed per Spiritum sanctum, ei omnibus Apostolis minimo novissime datum per Jesum Christum Dominum nostrum, per quem habemus accessum in ista gratia in qua & stamus & gloriamur. Nos verò simpliciter exposuisse, brevibusque sermonibus comperies. Ejus nempe Epistolæ magnificentius ab omnibus sapientibus & interpretantur & prædicantur.

*Præfatio hæc non legitur in veteri codice: Commentarii autem con-sequentes licet Hieronymo tribuantur in MSS. cod. Pelagiano tamen, vel ipsi Pelagio adscribendi sunt. In codice Bibliothecæ S. Richarii recentior Commentarii Pelagii in xlii. Epistolas Pauli, & isti similiter in 13. tantum scripti sunt. Propterea in quibusdam veteribus codicibus præfixa est his Commentariis concordia Epistolarum Beati Pauli, quam om-*

*nes veteres codices Pelagio tribuunt. Ex hoc certe Primasus & Sedulius sua transcribere: qui quum viderent Pelagii Commentarios haud indoctos esse, quamvis hæresi infectos, quæ bona erant in suos usus transfulerunt. Verisimile est quum Pelagii nomen malè audiret cunctos in Gallia labe hujus aspersos, sub Hieronymi nomine Commentarios legisse Pelagii.*

## COMMENTARII IN EPISTOLAM PAULI AD ROMANOS.

### Caput I.

**P**AULUS. Quærimus quare Paulus scribat, cum Saul antea sit vocatus? Quod ex more sanctorum fecisse credendum est, qui in virtutibus proficientes, mutato nomine sunt vocati, ut essent etiam ipso nomine novi, ut Abraham, & Sara, & Cephas. Aliter. Paulus. Sicut aliorum sanctorum tam in veteri, quam in novo Testamento, id est, Abraham, & Petri, & cæterorum, profectu & incremento meritum mutata sunt nomina: ita & Paulus in gratia proficiens nomen sibi ipse mutavit.

*Servus Jesu Christi.* A servo cœpit, exemplum nobis humilitatis ostendens; quasi imitator ejus qui exinanivit se ipsum, formam servi accipiens, & humiliavit seipsum, factus obediens usque ad mortem: propter quod & Deus illum exaltavit. Et hic per fidele primum servitium meruit Apostolatam. Item, non secundum timorem, sed secundum dilectionem, sicut ipse dicit: Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus.

*Vocatus Apostolus.* Jam in præsentia ad hoc vocatus, ut esset Apostolus. Item ostendit, non solum vocatum se ad apostolatam gratiam: sed & segregatum in prædicationem gentium, ut ipse memorat. Nos in gentibus; ipsi autem in circumcissione. Vocatus ergo à Christo in apostolatam; segregatus autem in prædicationem gentium, ut ostendat unam esse substantiam Patris & Filii & Spiritus sancti.

*Segregatus.* Sicut in Actibus Apostolorum Spiritus sanctus dicit: Segregate mihi Barnabam & Paulum in opus ad quod elegi eos.

*In Evangelium Dei.* Evangelium, Latine bona annuntiatio dicitur; nativitatis scilicet Christi, passionis, & resurrectionis, & in cælum ascensionis.

*Quod ante promiserat per Prophetas suos.* Ostendit se Christum non alium prædicare, quam eum cujus Evangelium Prophetæ ab Jerusalem promiserant esse venturum.

*In Scripturis sanctis.* Ipsos asserit Dei Prophetas esse; &

illas Scripturas sanctas de Christo ante cecinerunt. Verum totus hic locus contra Manichæos facit, ubi dicit, quod Evangelium ante sit promissum, & per Prophetas Dei, & in sanctis Scripturis, & quod Christus secundum carnem ex David stirpe, id est, de Maria virgine sit creatus, secundum quod prædixerat Isaias.

*De filio suo.* Multi filii gratiæ; hic naturæ; cujus etiam in carne nativitas dissimilis cæteris invenitur, eo quod ex virgine natus est.

*Qui factus est ei ex semine David.* Factus per Spiritum sanctum.

*Secundum carnem.* Addendo secundum carnem, & Finitum excludit & Arium. Si enim secundum carnem factus est, secundum verbi utique substantiam factus non est.

*Qui prædestinatus est filius Dei in virtute.* Dicendo in virtute, ostendit non solum humanæ naturæ esse conceptum; sed absque virili semine ex virgine procreatum. Inferendo autem:

*Secundum Spiritum sanctificationis.* Ostendit Creatorem suum Spiritum sanctum. Item ut sit in omnibus ipse primatum tenens, secundum Spiritum sanctificationis prædestinatus, ut prior omnibus incorruptibilitatis virtute surgeret, & viam resurrectionis Dei filii aperiret. De quibus ipse dicit: Quia filii Dei, cum sint filii resurrectionis.

*Ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri.* Non omnium resurgentium, sed ad Christum pertinentium, in ipso Christo resurrectionis forma est.

*Per quem accepimus gratiam & Apostolatam.* Gratiam in baptismo: Apostolatam, quando à Spiritu sancto directus est. Apostolus enim Græcè, Latine missus dicitur. Item recto ordine, accepta gratia, honorem Apostolatus meruisse se dicit.

*Ad obediendum fidei.* Ostendit Evangelii gratiam obedientibus prædicandam.

*In omnibus gentibus.* Apostolatam accepit, ut jam non legi, sed fidei obedirent.

*Pro nomine ejus.* Vice nominis ejus fungimur, ut ipse ait: Sicut misit me pater, & ego mitto vos. Et iterum: Qui vos recipit, me recipit.

*In quibus estis & vos vocati Jesu Christi.* Et in vobis, id est Romanis Apostolatam accepimus.

*Omnibus qui sunt Romæ dilectis Dei.* Hoc est omnibus credentibus, quos æqualiter diligit Deus sine acceptione